



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

**Parisiis, 1644**

Epistola Constantini Ad Athanasivm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15072**

ANNO  
CHRISTI  
355.

EPISTOLA CONSTANTINI  
AD NICOMEDIENSES.

*Constantinus Augustus catholice ecclesie Nicomediensium.*

**D**OMINVM Deum & Salvatorem Christum, &c. *Extat  
supra apud Gelasium in actis Concilii Niceni lib. 3.*

EPISTOLA CONSTANTINI  
AD ATHANASIVM.

*Victor Constantinus Maximus Augustus papae Athanasio.*

**L**ITERIS tuæ prudentiæ perlectis, in eam veni sententiam, ut putarim te rescriptis nostris adhortandum, ut populum Dei ad modestiam & misericordiam adduceres. Meo enim in animo hæc inter præcipua habeo, ut & veritatem colam, & in mente semper iustitiam conferuem, iisque potissimum gaudeam, qui recta vitæ via incedunt. De illis autem omni execratione dignis Meletianis, immanibus, inquam, & nefariis hominibus, qui quasi infania correpti stupent, & solummodo invidia & amulatione & tumultibus ad scelera motum habent, nefariam suam mentem declarantes, ista mihi dicenda puto. Vides enim homines illos, quos ipsi ferro interfectos aiebant, in medio versari, & vita frui. Quo ipso nullum unquam fuerit gravius præiudicium, quodque tam clare eorum causam oneret, quam eos, quos ipsi necatos asseuerabant, vivere, & luce frui, qui ipsi pro se causam dicere possunt. Deinde & id quoque additum fuit Meletianorum criminibus: te nefario impetu irrumpentem, rapientemque poculum, quod in sacratissimo loco repositum erat, confregisse: quo scelere nullum unquam profecto gravius esse posset, si quidem id ita factum & contestatum esset.

At quodnam hoc genus criminationis? quæve ista defultoria personarum transmutatio, & reorum diuersitas, ut nunc in hunc, nunc in alium crimen conferant? quæ res ipsa luce lucidior est, ipsos tuæ prudentiæ insidias tendisse. Denique quis iam deinceps homines istos tam

*Concil. Tom. 2.*

Xxx

multa ad noxam fingentes sequi velit? maxime cum ipsi seipfos in barathrum ducant; cumque in conspectu sit, eos fictarum & falsarum rerum accusatores esse. Vt iterum dicam: quis eos sequi velit, & iter exitii præceps inire, in quo illi soli mortalium spem salutis auxiliique constituunt? Si enim pura vellent conscientia ingredi, & bonæ mentis meminisse, & sanum animum induere, facile intelligerent, nullam ipsis opem a Dei providentia expectandam esse, cum se talium rerum æmulatores ad suam perniciem præbeant. Hanc igitur, quam denuntio, non asperitatem, sed seueritatem iure appellauero.

Comminatio  
Constantini.

Postremo etiam illud adiungimus, vt operam des, quo ista quæ scripsimus subinde ad populum recitentur; vt res ad omnium notitiam veniat; & præcipue vt illi qui ita agunt, & ad istum modum conuersantur, respicere possint, quod ista quæ nunc a nobis emendationis causa dicuntur, re ipsa & factis demonstrabuntur vera esse. Iam cum in hoc negotio tanta sit malitiæ importunitas, certum habeant, me ita decreuisse, atque huius esse sententiæ: si quid tale iterum mouerint, non pro more ecclesiarum, sed pro legibus publicis memet meapte opera causæ cognitionem suscepturum: ac deinde cognoscent, se non solum humani generis, sed etiam diuinæ disciplinæ latrones esse. Deus te seruet, frater dilecte.

EPISTOLA ALEXANDRI  
THESSALONICENSIS EPISCOPI  
AD ATHANASIVM.

Gratulatur de victoria contra Eusebianos.

*Domino dilecto filio & unanimi suo in sacris collegæ Athanasio  
Alexander episcopus in Domino salutem.*

CONGRATVLO optimo Serapioni ita se sacris moribus exornare satagenti, & patris memoriam laudabiliorem efficiendi. Consummatus est enim ille (vt alicubi dicit scriptura sacra) & non mortuus est: reliquit enim vitæ suæ monumentum. Quo igitur nos affectu esse erga eum, qui ita virum memoria dignum in se conseruat, existimas? cum tu, domine, & sacram eius viri memoriam, & recentioris humanitatem cognitam habeas, per quem vnam solum a tua reuerentia epistolam accepi? Signifi-